



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput LVI. Quod nos ipsos abnegare, & Christum imitari debemus per
crucem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Quid sum sine ea, nisi aridum lignum, stirps inutilis ad ejiciendum?

Tua ergo me Domine, gratia semper & praeveniat & sequatur: ac bonis operibus jugiter praestet esse intentum, per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

CAPUT LVI.

Quod nos ipsos abnegare, & Christum imitari debemus per crucem.

1. **F**ili, quantum a te vales exire, tantum in me poteris transire.

Sicut nihil foris concupiscere internam pacem facit; sic se interius relinquere Deo conjungit.

Volo te addiscere perfectam abnegationem tui in voluntate mea sine contradictione & querela.

Sequere me: Ego sum via, veritas, & vita. Sine via non itur: sine veritate non cognoscitur; sine vita non vivitur. Ego sum via, quam

R 7

sequi

sequi debes; veritas, cui credere debes; vita, quam sperare debes.

Ego sum via inviolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis.

Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata.

Si manseris in via mea, cognosces veritatem, & veritas liberabit te, & apprehendes vitam æternam.

2. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Si vis veritatem cognoscere, crede mihi.

Si vis perfectus esse, vende omnia.

Si vis esse discipulus meus, abnega te ipsum.

Si vis beatam vitam possidere, præsentem vitam contemne.

Si vis exaltari in cœlo, humilia te in mundo.

Si vis regnare mecum, porta crucem mecum.

Soli enim servi crucis inveniunt viam beatitudinis, & veræ lucis.

3. Do-

3. Domine Jesu Christe, quia arcta est vita tua, & mundo despecta, dona mihi te cum mundi despectu imitari.

Non enim major est servus Domino suo, nec discipulus supra magistrum.

Exerceatur servus tuus in vita tua, quia ibi est salus mea, & sanctitas vera.

Quidquid extra eam lego, vel audio, non me recreat, nec delectat plene.

4. Fili, quia hæc scis, & legisti omnia: beatus eris, si feceris.

Qui habet mandata mea, & servat ea, ipse est, qui diligit me: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum: & faciam eum consedere mecum in regno Patris mei. Domine igitur, sicut dixisti & promifisti, sic utique fiat, & mihi promereri contingat.

Suscepi, suscepi de manu tua crucem; portabo eam usque ad mortem, sicut imposuisti mihi.

Vere vita boni Monachi crux est, sed dux paradisi. Incep-

Inceptum est, retro abire non licet, nec relinquere oportet.

5. Eja fratres, pergamus simul, Jesus erit nobiscum.

Propter Jesum suscepimus hanc crucem: propter Jesum perseveremus in cruce.

Erit adjutor noster, qui est dux noster, & præcessor.

En, rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis.

Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus a cruce.

CAPUT LVII.

Quod homo non sit nimis dejectus, quando in aliquos labitur defectus.

I. **F**ili, magis placent mihi patientia & humilitas in adversis, quam multa consolatio & devotio in prosperis.

Ut quid te contristat parvum factum contra te dictum?